

00

kt

S. C. 132

vgl an Id 2087

Theol.

IV. C. 3.

g

8

DE  
CAIPHA PROPHE TAM  
SIMVL ANTE

ad Io. XI, 49-52.

DISSERIT

---

SECTIO I.

QVAM

MVNVS RECTORIS SCHOLAE REGIAE  
FRIDERICIANAE

AVSPICATVRVS

ORATIONI

D. XXII. MAII HORA X. MATVTINA HABENDAE

PRAEFATVR

ABRAH. PHILIPPVS GOTHOFREDVS SCHICKEDANZ

V. D. M. FRIDERICIANI RECTOR.



---

FRANCOFVRTI AD VIADRVM  
LITTER. SIGISM. GABRIEL. ALEXII. 1772.

130

DE  
CALPHA PROPHETAM  
SIMVLANTE

ad la. XI. 1797  
DIEBENT

LECTIO I.

QVAE

MVVS RECTORIS SCHOLAE REGIAE  
FRIDERICIANAE

AVSPICATVS

ORATIONI

IN XPII. MAII HORA X. MATVTINA HABENDAE

PLACVIT

ABRAH. PHILIPVS GOTHORFVS SCHICKEDANS

V. D. M. FRIDERICIANI RECTOR



FRANCOPERTI AD KADBRN  
LITTEB SIGISM. GABRIEL. ALEXII. 1797



## CONSPECTVS

Prooemium §. I. de Caipha eiusque dignitate pontificia nonnulla praemittuntur. §. II. Significationes vocis *ἀρχιερεύς* euoluuntur. §. III. Quid

sibi velint verba *τὸ ἐπιδοῦν ἐκείνῳ* §. IIII. Caiphas Synedri praefes sistitur. §. V. et VI. De sede Synedrii et aedibus Caiphae §. VII.

### §. I.



**Miraculorum, quibus Optimus noster Seruator in hisce terris legatum Patris filiumque Dei se demonstrauit luculentissime, nullum magis Iudaeorum animos ad fidem in ipsum, ceu Messiam sibi promissum et a patribus votis expetitur ardentissimis, adducere debuisset, quam quod non multo ante suum ipsius obitum patrauerat, Lazaro sibi amico ex mortuis suscitato ac sepulcro iam foetido exire iussit. Non pauci quidem ex Iudaeis, hac mira Iesu potentia conspecta crediderunt illi, teste Ioanne Evangelista, qui omnium solus miraculum hocce nobis descriptum reliquit, cap. XI; sed eorum, qui odio in optimum illum ac innocentissimum, quem sol vniquam adspexerit, inuidiaque inflammati diuinitus missio prophetae fidem denegabant, numerus existit longe maior. Quin ipsi Pharisei et Viri Pontificii, simul ac huius miraculi famam auribus suis acceperant, tantum abest, vt eo permoti Iesum Nazarenum Mes-**

siam cognoscerent, eundemque tot Prophetarum vaticiniis exhibitum ac tot et tantis miraculis conspicuum vera fide reciperent, ut quibusvis furis ambitionis, invidiae atque odii contra Christum agitati truculenta de eo interimendo consilia inirent. Hisc consiliis fax et tuba fuit summus Pontifex, nomine Caiphaz. Namque is, sententia pro tribunali sacro lata, qua deliberantibus sociis conabatur finem imponere, vatis diuini speciem prae se tulit. Quo de ipso eiusdemque, quod legimus Ioannis *cap. XI, v. 49-52*, vaticinio pauca commentari mihi nunc in animo est.

## §. II.

Caiphaz, vel si mauis, Iosephum, cognomento Caiphaz, pontificatum, sub quo Christus mortem quidem famosissimam, sibi autem vere gloriosam nobisque spem in eo reponentibus salutiferam maxime, obierit, tum temporis tenuisse, praeter sacros, quos dicunt, scriptores, Iosephus historicus memoriae prodidit. Teste hoc, a Valerio Grato, Iudaeae Procuratore, Simoni, e cathedra pontificali detruso, successor datus in munere isto constituebatur; quo compluribus annis functus nec prius remotus est, quam Pilatus, a Iudaeorum primoribus accusatus, iussu Vitellii, Syriae Praefidis, Romam proficiscebatur, suffecto in Caiphaz locum Ionathane, Annae filio. (a) In tradita ab eodem profano scriptore serie Pontificum, qui post Iudaeorum ex Babylónico exilio reditum isto functi munere esse dicuntur, numeratur quadragesimus primus. Hunc indicem utpote verissimum atque ideo aliis omnibus praefendum, et quicquid Talmudici scriptores regerant vanum absonumque a fide esse, demonstrant Morinus (b) et Petauus, (c) quorum posterior de serie et successione Pontificum in primis consulendus esse videtur. Quid vero causae fuerit, quare ille ante alios sacerdotes ad hunc summi honoris gradum euectus sit, expressis me verbis legisse non memini; versutiam tamen, qua occupatum semel locum tam diu obtinere calluit, quaeque vel ex consilio eiusdem mihi explicando apparebit, nec non propinquitatem, qua Annae, ut focero suo, magna tunc auctoritate pollenti, proximus erat, viam ipsi ad arduam hanc dignitatem aperuisse, haud vllus dubito.

(a) Vid. Iosephus A. I. L. XVIII. C. III. V. et VI.

(b) in exercitationibus biblicis,

(c) in doctrina temporum,

## §. III.

§. III.

Quibus praemissis propius ad explicationem disti nostri accedamus. Ioannes Caipham vocat τὸν ἀρχιερέα τῶν ἱουδαίων ἐκείνου. Ratione nempe muneris, quo tunc perfungebatur, sanctissimi, dicitur Ἀρχιερέως, sacerdos magnus, sacerdotum princeps, siue, more Latinorum, Pontifex maximus; quamquam istud nomen ἀρχιερέως et illis tribuebatur, qui certis sacerdotum ordinibus praefecti כהן הכהנים vel שׂרֵי הַכֹּהֲנִים capita vel principes quasi sacerdotum erant, de quibus videatur 1. Par. XXIV, 6. 2. Paral. XXXVI, 14. Erant hi primarii sacerdotes Synedrio magno adscripti, eiusque quasi a consiliis, vt intelligitur ex Matth. XXVI, 3. Io. XI, 47. aliisque locis permultis, vbi absque istis sacerdotum principibus nullum concilium cogitur. In versione autem LXX interpretum numquam insigniuntur augusto illo nomine, vtpote quod in libris V. T. soli Pontifici maximo proprium esse videtur. Dumtaxat audiunt ἀρχοντες τῶν ἱερῶν Esdr. VIII, 24. 28. Nehem. XII, 7. ἀρχοντες τῶν πατριῶν ibid. 12. 22. ἀρχοντες τῶν πατριῶν τῶν ἱερῶν 1. Paral. XXIV, 6. denique ἀρχοντες τῶν ἀγίων, ἀρχοντες κυρίας cap. eod. v. 5. Pari nominis dignitate superbiebant, qui pontifices proxime affinitate aliqua attingebant, vel eorum erant gente editi; occurrunt tales Act. IV, 6. Nihil igitur in quemquam puto admirationis cadere, si de pluribus in sacris litteris simul legat summis sacerdotibus. Certè Iosephus historicus in libris suis plane non alio ista voce vtitur significatu. (a) Sunt insuper non pauci, qui Pontifici summo alium substitutum fuisse sacerdotem credant, qui in promptu sit ad sollempnia sacra loco illius obeunda, si qua forte eum immundities inuaserit, qua inhabilis reddatur, quo minus officio, quod sibi dies expiationis festus tradit peragendum, facere satis queat; quem Pontificis vicarium contendunt כהן־שׂרֵי item כהן־שׂרֵי Hebraeis dictum, etiam Pontificis maximi gaudere nomine. Sic L' Empereur ad Middoth cap. V. sect. 3. ἀρχιερέως, inquit, non is tantum dicitur, qui proprie reliquis omnibus solus praest, sed etiam, qui successor designatur, si forte primarius ille casu quodam impediretur, quo minus suo munere vacare possit. Huius vestigia premit Seldenus apud. Walaeum ad Act. IV, 6. Summa est, ait, et Vicarios et exauthoratos et sanguine proxime coniunctos stationumque sacerdotatum principes, Pontifices seu summos sacerdotes nuncupari frequenter. Hinc Lightfootus in horis hebraicis et calmidicis p. m. 745. ubi ex Rabbinis de Sagane disserit; erat Caiphaz summus Pontifex et Annas Sagan vel praefectus templi, qui ob independentem istam dignitatem vocatur Ἀρχιερέως aequè ac Caiphaz. Adstipulantur huic sententiae

Grotius in annotationibus ad euang. Lucae c. III, 25 et celeberrimus Moldenhauerus in explicatione locorum difficultiorum N. T. quae lingua Germ. prodit T. I. p. 182. Verum iam alii viri doctissimi et magni in antiquitatis rebus nominis contra hanc Saganis dignitatem dubia mouerunt grauissima; et id quidem iure. Silet enim sacer codex, sicut Iosephus et Philo, scriptores in rebus iudaicis fide profecto non defraudandi, quin immo ex historia, quam prior refert A. I. L. XVII. c. VIII. contrarium esse nobis colligendum videtur. Narrat ibi: Matthiam munere sacerdotali fungentem ea nocte, quae praecedebat diem ieiunii, immundo visu per somnium se inquinasse, cumque ad rem diuinam faciendam ob hoc non esset idoneus, consanguineum ipsius Iosephum, Ellemi filium, ei vicariam operam praestitisse. Iam vero Iosephus id inter casus singulares refert, summo sacerdoti alium ad vnam diem fuisse vicarium datum. Συμβαλει, inquit, καὶ ἕτερον ἀρχιερεὶα καταστήσει πρὸς μίαν ἡμέραν; accidit etiam, vt alius pontifex ad vnam diem substitueretur. Quare vero sacerdos vicarius constitui debuisset, si Sagan adfuisset? quare in diem tantum, si vnus ad vitae totius curriculum vicarius eligendus erat? Relegemus igitur Saganem, neque operam inanem impendamus, eius vestigia in sacrorum scriptorum monumentis exquirendo. Certe plures, vt iam diximus, nomine pontificum insigniebantur; vnde sacerdos summus, vt distingueretur ab istis, ἀρχιερεὺς μέγας aut ὁ προηγούμενος πάντων ἀρχιερεὺς appellari soleuerat. Saep̄ tamen vox ἀρχιερεὺς ἀπλοῦς ponitur, ac tantumdem valet, quantum si addantur haec epitheta. Vid. 3. Esdr. IX, 40 2. Macc. III, 20. IV, 13. XV, 12. Hinc summus Pontifex κατ' ἐξοχὴν dicitur ἱερεὺς 1. Macc. XV, 1. coll. v. 2. et Act. V, 24. quo loco per τῶς ἀρχιερεῶς sacerdotes primarios intelligendos putamus.

(2) Loca collegit Krebsius in obsery. in N. T. ex Iosepho.

### §. III.

Iam in sensum verborum Ioannis, in quibus Caïphas nominatur summus sacerdos τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ, inquiramus. Phrasis illa quibusdam causam attulit, insimulandi Ioannem erroris, quasi crediderit, pontificiam dignitatem vnus tantum anni fuisse, cum tamen certissimum esset, Caïpham iam ante, Pilatus quam Iudaeae praecerat, in munere hoc collocatum esse, idque tenuisse ad exitum vsque illius praefecturae. Verum qui ad verba Ioannis paulo curatius attenderit, omnino illum tali ab errore vacuum existimabit; quippe ne verbo quidem



Item Evangelista memorat, Caipham annum tantum pontificatum  
gessisse, sed solum eum indicat, qui tum erat dignitate ista insignitus.  
Bene igitur doctissimus Lardnerus (a) phrasin *τὸ ἐνιαυτὸν ἐπιεικῶς* aequè  
ac *tunc temporis* significare contendit, locis nonnullis ex libris sacris  
adductis, ubi anni vel dies pro tempore in genere ponuntur; quem  
ex Philone affert, praecipue huc quadrare videtur. Scilicet duo  
canones Glassii hic combinandi sunt: in N. T. *τὸ ἐνιαυτὸν* anni tam-  
quam adverbium sumitur, et pars temporis pro tempore ponitur,  
vel indefinito, vel certo, v. g. annus pro tempore. (b) Minime ita-  
que verba Ioannis de diurnitate temporis, quo Caiphæ pontifi-  
cia exornatus dignitate res sacras rexit, explicanda, sed de con-  
sueto statu, qui istis temporibus florebat, pontificum, quoniam hi  
secundum peruersam consuetudinem ex ipsorum ambitione Romano-  
rumque Praesidum auri sacra fame atque libidine deriuatam muta-  
bantur, et Pontificatus, qui ex legis praescripto vni sacerdoti ad mor-  
tem vsque proprius esse debebat, saepe in magistratum annuum trans-  
formabatur. Qua de re consulendus est Iosephus (c) Addimus, tum  
temporis vñu venisse, vt, qui quondam summum pontificatum gesse-  
rant, postea vero isto fastigio sacro a Regibus aut Praesidibus Iudaeae  
deturbati erant, nominis dignitatem retinuerint; vt apud Roma-  
nos Viri consulares nuncupabantur, qui olim consulatu functi erant.  
Vnde eodem tempore plures erant Pontifices, siue, vt idiomate ro-  
mano loquamur, Pontificii Viri. Et tales etiam in N. Foedere sub  
nomine Ἀρχιερέων commemorantur, quippe qui aequè ac primarij illi  
sacerdotes Patribus Synedrii magni adscripti erant, immo dignitate  
atque auctoritate prae istis eminebant. Hinc Annas, licet iam loco  
motus, tamen pontifex passim in historia euangelica et in Actis  
cap. IV, 6. appellatur, quin cum Caipha, qui tum vere in fungendo  
pontificatu versabatur, pari passu ambulat Luc. III, 2. magnaue in  
Synedrio auctoritate valuisse et prope alter pontifex fuisse videtur;  
quod non modo Pontifice genero gaudebat, sed etiam ceu vir usa et  
prudencia praestans magnae apud vulgum erat aestimationis, ab eoque,  
si quando res maior esset publice gerenda, in consilium adhibebatur.  
Tali quoque modo apud Iosephum leguntur Jonathan et Ananias  
Pontifices, imperante Claudio, a Quadrato, praefide Syriae, ad Caesarem  
missi fuisse, cum Jonathanem iam diu magistratu abdicatum et Ana-  
niam tum vere sacris praefuisse ex aliis locis liquet. (d) En adhuc  
aliam rationem, qua Evangelista noster permotus Caipham Pontificem  
vocat

voeat τὸ ἱερατὴ ἱερατὴ! non quia vnus ex Pontificis, sed illa tem-  
pestate existit honoribus praeditus pontificalibus. (e)

(a) in eleganti libro, cui inscriptum; Glaubwürdigk, der euangel.  
Geschichte P. I. p. 719.

(b) in Grammatica Tract. V. Can. VII, et in Rhetor. Tract. I. C.  
XVII.

(c) Antiq. Iud. L. XVIII. C. III.

(d) de B. I. L. II. C. XI.

(e) Confer. Lardnerus in libro iam cit. Spanhemius in dubiis euange-  
licis P. I. p. 366. Seldenus de successione in Pontif. Hebraeorum  
L. I. C. XII. et Vitringa in observ. S. L. VI, C. XII.

### §. V.

Pontifices, siue Viri generis Pontificii, quibus se coniunxerant  
Pharisaei, et, liceat nobis addere, γραμματεῖς, (hos enim Iudaeorum  
Theologos et Interpretes legis vocare possumus, Pharisaeorum ma-  
gna ex parte assecras,) (a) et reliqui senatores, i. e. Presbyteri, (vid.  
Matth. XXVI, 3. 57. XXVII. 1. Act. IV, 5.) illi, inquam, concilium  
conuocarunt, quid in Iesum suscipiendum sit, communi suffra-  
gio deliberaturi. Συνηγορον, ait Ioannes v. 47. -- συνέδριον, i. e.  
supremum illum senatum, qui Hierosolymis confidebat, et tempore  
Seruatoris praeter Pontificem maximum ex Pontificiis Viris, Scribis  
siue litteratis, Pharisaeis ac Presbyteris constabat, et vulgo Synedrium  
magnum audit, sollempniter coire iusserunt. Non iam animus mihi  
est, plura de summo hoc iudicio Iudaeorum disserendi, cum ego  
quidem non ignoro, celeberrimos viros Seldenum (b) et Witsium  
(c) hanc materiam tantum non omnem exhaustisse; multa licet ab iis  
e Rabbistorum libris congesta narrentur, non omni ex parte proban-  
da, saltim incerta, quippe tradita ab iis, qui post sublatum syne-  
drium in viuis demum existerunt. Id dumtaxat silentio non prae-  
tereundum est, temporibus Christi et Apostolorum summum Ponti-  
ficem semper praesidis officio functum, nec vllum ab eo alium fu-  
isse Νῶϛ siue senatus principem. Testes habemus sacras litteras,  
testem Iosephum. Nimirum ex tota historia euangelica constat, Sa-  
cerdotem summum primas semper partes in magno illo confessa re-  
nuisse, eique omnia alia tribui, quae secundum traditionem Iudaeorum  
incumbere praefecto dicuntur, vid. Matth. XXVI, 3. 57. Ita et Lucas  
Pontificem concilium coegisse refert Act. V, 21. eundemque in causa  
Stephani ceu duce[m] examinis sistit Act. VII, 1. Audiamus nunc  
Iose.

Iosephum, quem non facile quidquam patrii moris latuit. Sic ille *Antiq. Iud. L. IV. C. VIII.* Quod si iudices, scilicet septem illi viri, quorum iudicia in singulis Iudaeae oppidis constituta ante memorat Iosephus, de rebus ad se delatis pronuntiare nesciant (id autem interdum accidit hominibus) ad urbem sacram integram causam relegent: et convenientes pontifex et propheta et senatus etiam quod visum fuerit decernant. Simili quoque ratione pontificatu potitus erat, in causa Iacobi, fratris Iesu Christi, narrat *καθίστα, συνέδριον.* Itaque praeter summum Pontificem nullus alius fuit Synedrii Praefectus.

(a) De γραμματεῖος hisce et discrimine, quod eos inter et νομικὸς intercedit, multa multis doctorum virorum disputationibus agitata controuersa est, nec satis tamen, vt videtur, explicata. Spero igitur optoque cum aliis, fore, vt Celeber. Ernesti, eximium republicae literariae decus, eam, quam nuperrime in Bibliotheca sua theologica nouissima dissertationem promisit, in lucem emittat.

(b) in libro de synedriis Iudaeorum.

(c) in miscellaneis sacris T. I. L. II. de Synedrio Hebraeor.

#### §. VI.

Proinde recte concludere nobis licet, Caipham in Synedrio, quo de nobis iam sermo est, primam cathedram tenuisse. Haud quidem sum nescius, Celeberrimos Viros, Lampium et Heumannum, illum in Commentario suo ad euang. Io. p. 805, hunc in explicatione N. T. P. III. p. 611 in aliam discedere sententiam, ex verbis Ioannis: *ὁς ἐκ τῶν πατέρων* v. 47. quae plerumque vertuntur aliquis ex illis, scil. Synedrii Patribus, probantes, Caipham non ipsum Synedrii praesidem fuisse; nam quis de Praeside ipso, vnus ex illis, ita locuturus esset? Sed, quod pace tantorum virorum dixerim, ego quidem malle *τὸ εἶς* non per vnum, sed per primum, ergo primarium, principem, caput verti. Constat enim, adiectiua, quae numerandi vi pollent, saepe promiscue poni, sic vnum pro primo. Cuius rationis non vnum apud Glassium (a) habemus exemplum. Vnum vero adduxisse sufficiat. Apoc. VI, 1. scribit Ioannes, se vidisse agnum *σταῦρον ἐν τῶν ἐπὶ τὰ σφραγίδων* primum ex sigillis aperientem et audiuisse *ἐν τῶν τεσσαράων ζώων* primum ex quatuor illis animalibus dicens. Videatur et Apoc. XIII, 3. En ergo Caipham primum ex Patribus Conscriptis et simul summi Pontificis nomine dignum! Num verba Ioannis, si ita interpreteris, auctoritatem profecto Praesidis iamminuerent? At in Synedrii

)

Synedrîi Praesidium catalogo, quem Hebraeorum magistri exhibent, (b) frustra vel oculo, vt aiunt, armato quaeseris Caipham. Equidem id non inficitatum ibo. Equis autem non in eo somnium, qualia saepe verpi eorumque rabbinici doctores somniare solent, agnoscat? Vel ponamus, catalogum modo dictum a vero non longe alienum, quisnam alius tunc temporis Synedrîi praesidium tenuit? Forte Rabban Simeon. Quem multi illum Simeonem esse produunt, qui Seruatorem recens natum in templo brachiis excepit Luc. II, 25. Simeon iste ab Esra, qui agmen ducit, horum nonus praesidium fuisse fertur, annisque ante sexaginta, quam templum hierosolymitanum deflagrauerit, vixisse. Ab Esrae autem aeuo, vt plerique docti temporum rationes inire solent, ad vrbis sanctae destructionem effluxere fere anni sexcenti; detrahamus sexaginta, residui sunt anni quingenti quadraginta, hos distribuamus inter nouem illos praesides, tum cuiuslibet antistiti essent sexaginta anni, quos in regimine peregerit, assignandi. Credat Iudaeus Apella. Denique etiam Caipham Synedrîi praesidem demonstrant verba grandiloqua, quibus socios suos aggreditur, et *παρρησια*, quacum sententiam suam intonat, ab Euangelista nostro consignatam. Vos, inquit, necquicquam scitis! Anne cogitatis? etc. Tali autem sermone inuectiuo vti, vix vlli fas ac ne vix quidem praesidium tementi ceterisque longe antistanti putatur.

(a) in Grammatica, Tract. 1. Can. XIV.

(b) Confer. Relandus in antiq. hebraicis.

### §. VII.

Cum iam de Caipha Pontifice differimus, nosque in confessu iudicum iudaicorum versamur, non a re alienum videtur, paucis de Caiphae aula enarrare, in qua conuenisse synedrîum refert Matthaeus cap. XXVI. 3. In atrio magno, qua voce solebat atrium Israelitarum atque sacerdotum decorari, conspiciantur, prout Iudaei tradunt, complura conclauia. In his eminebat quoddam *Gaxith*, siue *excisi lapidis*, dictum; splendidum quippe aedificium ex caesis politisque saxis quadratis specie Basilicae magnae excitatum tali ratione, vt pars tantum in sancto, siue atrio, sita fuerit, altera vero Chel siue antemurale occupauerit. In isto conclauis per longam annorum seriem consedisit Synedrîum, sed, nescio quo casu, quadraginta annis ante templi destructionem sede relicta in Tabernas migrasse Hebraeorum magistri fabulantur (a) Enimvero, quod iam pace horum recu-

recutitorum dixerimus, conclate illud Gazith nobis profus fictum videtur. Quicquid enim Rabini de splendore huius aedificii atque magnificentia, cui totus terrarum orbis nihil simile aut secundum habuisse videtur, memorant, fabulam redolet. Synedrium confedisse contendunt in ea parte, quae in Chel posita, quia sedere in atrio non licitum, nisi Regibus e stirpe Davidis. At Chel nimis arctum erat ad sessionem septuaginta virorum, Iudaei enim tantum longitudinem decem cubitorum ei assignant. Denique apud Iosephum ne vllum quidem reperitur vestigium conclavis supra dicti, cuius tamen, tam celebri confessu nobilitati, mentio omnino iniicienda fuisset. In sententiam eorum igitur pedibus imus, qui aedificium βαλὴν et βαλευτήριον, quod apud Iosephum de B. I. in L. VI. C. VI. et ib. L. V. C. IV. occurrit, curiam synedrii fuisse opinantur. Ipsum enim synedrium illi dicitur βαλὴν L. II. de B. I. C. XV. Id quod iam dubium movisse videtur Lightfooto in centuria chorogr. Matthaeo praem. p. 50. βαλὴν, inquit, in vrbe superiori non incongrue interpretaris de Curia regis, βαλευτήριον in inferiori de Curia Synedrii, quo concessit, cum migraret e tabernis. En ergo aedes, in quibus confidebat Synedrium! Verum tamen saepius accidit, vt Patres synedrii Conscripti in aula, (b) siue domo pontificis conuentum celebrarent, quod ex historia evangelica satis liquet. Pias autem meditationes, quas quibusdam Theologis placet hic asserre, qua de causa Synedrium maluerit in Pontificis aedibus, quam in ordinario suo loco, conuentum instituire, nullo modo nobis vendicamus.

(a) Adeat, cui volupe est, plura de conclavi Gazith legere, Lightfootum in centur. Chorogr. Matthaeo praem. C. XXXI. et in horis hebr. ad Matth. XXVI, 3. nec non Seldenum in libr. cit. omnesque, qui antiquitates hebraicas delineauerunt.

(b) Vox αὐλή eandem hic significationem habet, quam Romanorum aula. Ita Lucanus:

*Exeat ex aula, qui volet esse pius.*

Marcus c. XV 16. voce ista de Praetorio Pilati vititur. Luce c. XXII, 54. προ αὐλῆ, τὸν δίκον domum Pontif. nominat.

Dicendum iam mihi esset de consilio, quod in hoc confessu pessimis illis consultoribus dederat Caiphas. Sed filum abruptum pere cogor, telam, quam exorsus sum, proxima occasione pertexturus.

zurus. Atque haec praefanda erant orationi d. XXII Maii hora X.  
matutina in Lyceo Fridericiano habendae qua, *quid et quantum Ger-*  
*manorum scholae Romanis veteribus debeant*, demonstrabimus, munus si-  
mul huius Scholae Reſtoris demandatum rite auspicatori. Quam  
vt orationem beneuole audiant, primordiaque muneris noſtri honorifi-  
centiſſima ſua praefentia illuſtriora reddant, Magnificum Academiae  
Reſtorem, Lycei Curatores Spectatiſſimos atque Grauiſſimos, pia no-  
bis mente colendos, Viadrinae Proceres, Senatum ampliffimum, Cives  
Academiae Generoſiſſimos atque nobiliſſimos, et quotquot litteris fa-  
uent Muſiſque noſtris bene cupiunt, omnes ea, qua par eſt, animi  
modestia et humanitate, inuitamus, rogamus, obſecramus. Scribeb.  
Francof. ad Viadr. d. XVI. Maii clo 1666XXII.




~~155556~~


AB 155 556

X2613330

l







Farbkarte #13

B.I.G.

DE  
PROPHETAM  
LANTE

XI, 49-52.  
ISSERIT

CTIO I.  
QVAM

IS SCHOLAE REGIAE  
RICIANAЕ

ICATVRVS  
TIONI

X. MATVTINA HABENDAE  
AEFATVR

OTHOFREDVS SCHICKEDANZ  
DERICIANI RECTOR.



TI AD VIADRVM  
GABRIEL. ALEXII. 1772.

139

